

Tom: LXXVI. Miscell:

~~G.H. 17.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.


17-18.

VITEBERG.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

offert.theol. Vol. 38

einzelu verzettelt 26. III. 1915.



Insunt in hoc libro.

- 1, Cornelio Beccero Analysis Psalmi Secundi. Lips. 1601.
- 2., Salom. Gesneri Dissut. Contra Antichristianum primatum
Ami Pontificis. Vitenb. 1604.
- 3., Leonh. Hutteri Theoremata tria Theologica ex Joh. 1. v. 29.
„Ecce agnus ille Dei. p. Witteberg. 1609.
- 4., Joannis Förstneri Medulla Capitis LIII. Esaiæ. Junq. Dissu,
rationibus expressa. Vitteb. 1610.
- 5., Jo. Vinkelmanii Dissut. Theof. De Messia nro Jesu.
Ex Jerem. 23. v. 3. — 8. Gissa. 1621.
- 6., Αποβήσεις & Oraculi Apostolici. 1. Joh. 1. v. 7. aut,
Joan. Major. Tena. 1621.
- 7., Theodor. Thummi Εξηγήσεις dicti Pauli Colos. 2. v. 9.
Tubing. 1621.
- 8., Jo. Conr. Danthaweri Dissut. Theof. De septem verbis
novissimis Xpi Dni in cruce. Argentor. 1625.
- 9., Exegesis dicti Luc. 11. v. 28. a. Joane Schmitt.
Argent. 1626.
- 10., Hoenigi. Diss. Theof. solennis. De Peccator Confessione
poenitentiali coram Deo. Argent. 1658.
- 11., Conradi Bergii. Diss. De loco Octavi Cap. Proverbior
pro Aeterna Divinitate Xpi. Frankf. ad Viadr. 1627.
- 12., Adr. Bauer. Diss. De primigenia huius conditione
ex Gen. 1. v. 26. 27. Lipsia. 1633.
- 13., Quabkepsi Oraculi Joanis De agno Dei tollente
peccata mundi. Vitteb. 1639.
- 14., Explicatio prior trium comatum Ps. XIV. Diss. Sic il
insipiens in corde suo. p. Vitteb. 1641.
- 15., Leyseri. Locus de Antichristo sumariæ ex 2. The.
II. concinnatus. p. 1643. Vitteberg.
- 16., M. Christophori Dulci Exegesis dicti proph.

Nos. 13. v. 9. Lipsia. 1646.
religua vid. ad calcem libri.



69

2.



Contra Antichristianum

PRIMATVM

ROMANI PONTIFICIS

*Disputatio de dicto Christi Matth.
16. vers. 18.*

(Tu es Petrus, & super hanc petram
ædificabo Ecclesiam meam.)

Quam

Divina aspirante gratia,

PRÆSIDE

SALOMONE GESNERO, S.
Theologiæ D. & in Inçlyta Academia
Wittebergensi Professore, ad diem VII. De-
cembris horis matutinis in auditorio The-
ologico defendet


M. HERMANNUS SAMSONIUS
Rigã - Livonus.

WITEBERGÆ

Typis VVolffgangi Meisneri,

Anno M. D. CIIII.







Magnifico Dn. BURGRAVIO

AMPLISSIMIS ET PRÆ-
STANTISSIMIS, PIETATE, PRU-
DENTIA, VIRTUTE ET DOCTRINA VIRIS,
Consularibus, & senatorii ordinis inclytæ
Reipublicæ RIGENSIS, Dominis suis omni
observantiæ cultu & honore di-
gnissimis.



Heatrum, in quo Philistini Principes
& populus magno numero congregati Samsonem
oculis orbatum spectarunt ludentem, duabus colu-
mnis nitebatur, quas cum Samson, robore à Domi-
no impetrato, subvertisset, totum corruit ædificium & univer-
sam spectatorum multitudinem oppressit.

Sedes Antichristi Romani, & Monarchicus ille, quæ sibi nefariè
arrogat, rapit, usurpat Papa, primatus ac principatus in omnes im-
peratores, reges, principes, episcopos, & totum Ecclesiasticum, poli-
ticum ac æconomicum ordinem, duabus itidem columnis è scri-
ptura furtim detractis incumbere videtur. Nam architecti Ro-
manensis theatri, cum alioquin scripto Dei verbo nihil penè tri-
buât, duas nihilominus ex ore Christi sententias furati sunt, quas
Papalis eminentiæ & tyrannidis throno substraverunt, & ejusdem
fulcra esse voluerunt. Vna est Matth: 16, ubi Christus ad Petrum
ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam me-
am. Altera verò est illa, qua Christus iterum ad Petrum Joh: 21.
ait: pascere oves meas. Vtrumq; hoc Salvatoris pronunciatum ita
Pontificii interpretantur, quod monarchicum primatum & prin-
cipatum priore quidem Dominus Petro promiserit, sed postero-
re contulerit, indeq; porro ratiocinantur, Romanos Papas à
Christo

Christo sibi traditum habere illam, qua haecenus in Ecclesia per mille annos dominati sunt, sublimitatem.

Etsi autem Samsonem illum Philistinorum domitorem non habemus, eundem nihilominus Spiritum sanctum adiutorem à Deo accepimus, cujus ille virtute heroica facinora patravit & theatrum evertit. *Nam arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed robore divinitus instructa, ad subversionem munitiorum: ratiocinationes evertendo, omnemque sublimitatem, quæ extollitur ad-versus cognitionem Dei, & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obædientiam Christo.* In præsentem igitur disputationem unum è fulcris Papisticæ Tyrannidis, falso adhibitum aggressi sumus, atque illud etiam, divina auxiliante gratia, è fundamento suo evertimus. Alterum suo quoque tempore, cum Deo, confracturi. Iesubi-tæ, ita me Deus amet, Philistinos principes fraudulentia & nequitia ad unguem repræsentant. Nam ut illi Samsonem exoculatum ludibrio habent, de columnis suæ domus nihil prorsus solliciti: Ita isti cælestem Samsonem, ipsum Iesum Christum, quantum in illis est, suarum sophisticationum nebulis & fumis exoculare, Christi que fideles prorsus excæcare conantur, dum Papalis eminentiæ theatrum duabus modo commemoratis per vim atque fraudem è scriptura subtractis columnis impènant. Non defuerunt autem in medio etiam Papatu fideles nostri Samsonis ministri, qui fraudem hanc animadverterunt, cæcutiètes homines manu duxerunt, & ad subvertenda sophistica hæc fulcra viam ostenderunt, sicut in ipsa nostra disputatione pluribus explicatum est.

Cum verò ante annum vir clarissimus & præstantissimus, Dominus Jacobus Gødemannus, J. U. Doctor, & inclytæ vestræ Reip. Syndicus, amicus meus ante annos viginti & plures Argentorati in scholastico contubernio primum factus, Magnificentiæ & præstantiæ vestræ, suoque etiam nomine honestum, eruditumque Juvenem M. Hermannum Samsonium, alumnum vestrum mihi diligenter commendaret, non modo studiis ipsius, sed etiam Ecclesiæ Christi utile futurum existimavi, hanc ipsam illi materiam committerer esponsione publica defendendam, ut videlicet Samsonius Samsonem imitaretur & Papali throno fraudulenter suppositis fulcimentis Samsoniam manum unam mecum adhibere, eaque
scriptu-

scripturarum & veritatis invicta virtute concutere, suoq; tempore
laudatissimam vestram & florentissimam Ecclesiam contra Iesu-
bitarum imposturas & insidias spiritu oris Christi tueri ad sue-
sceret. Studium hoc meum Magnificentia, præstantissimæq; di-
gnitati vestræ adeo non displicere penitus persuasum habeo, ut
non dubitaverim, hoc quicquid est opellæ eidem inscribere &
dedicare: Deum illū fortem, Emmanuelem nostrum, Jesum Chri-
stum, cujus typum Samson expressit, assiduis precibus invocans,
ut inter bellicorum motuum horribilem fremitum & strepitum
inter variarum hinc inde concurrentium calamitatum fluctus &
tempestates suam, quæ in toto mundo est, inq; vestra etiam am-
plissima Civitate adhuc viget, Ecclesiam potentissimè tueatur,
clypeo sui verbi circumdet, scuto Evangelii munit, & clementer
efficiat, ut aliquando lætum illud cum Davide ἐπινίκιον canere
possimus: Tu, Domine, illuminasti incernam meam: Deus me-
us illuminat tenebras meas: In te ereptus sum à tentatione, in
Deo meo transiliam murum. Amen. Dedi Wittebergæ
27. Novembr. Anno Christi 1604.

*Vestræ Magnificentia, Amplitudinis,
prudentia, dignitatisq; obser-
vantissimus*

SALOMON GESNERUS, S. Theo-
logiæ D. & Profess.

A 3

DISPU.



DISPUTATIONIS THEMA.

I.



Utrum Apostolum fuisse Ecclesie Christi monarcham sive summum Pontificem, qui jus utriusq; gladij habuerit, Pontificij è duobus scripturæ locis, altero quidem Matth. 16. 18. Tu es Petrus, altero autem Ioh: 21. 16. et 17. Pasce oves meas, probare conantur, ut videre est apud Bellarminū lib: 1. De Rom. Pontifice cap: 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Atq; hisce duabus columnis thronus Antichristiani Pontificatus, quantum ad scripturas attinet, suffulcitur.

2. Proinde nos hac vice priorem illum atq; primarium locum Matth: 16 pressius fixiusq; considerabimus & huic δεμελις & δεμύλω securitè verbi cælestis admodò debimus, idq; DEO iuvante funditus excindemus. Alterum vero illum locum, & si quæ possunt alia pro parte Romanensium adferri publico examini & disquisitioni reseruabimus.

Examen capitis decimi libro 1. De Rom. Pontifice

3. Ut suita institutum suum è dicto Christi Matth. 16 18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, probare possit, quatuor sibi proponit quæstiones quarum affirmat singulas: & prima assertio quidem eius est, Petrum esse istam petram super quam fundatur Ecclesia.

4. Quam ista limitatione determinat, quod Petrus, hoc est illa persona, quæ dicebatur Petrus, sit petra illa, super qua fundata est Ecclesia, non tamen ut persona erat particularis, sed ut pastor & caput Ecclesie.

*5. Rem tanti momenti, quæ tot multorum Imperatorum, regum, principū & piorū martyrum sanguine constitit, & non tam verbis, quam verberibus huc usq; per 1000 annos ferme disceptata est, nō potest Bellarminus solidiore probare argumētō, quā grāmatico, quod tale est. Pronomē HANC cum Christus ait, super hanc petram, demonstrat aliquam petram, de qua Dominus paulò ante est locutus: Proximè autem Dominus Petrum vocaverat petram. Syriacè enim loquebatur, & Syriacà lingua Petrus dicitur Cephas, ut habemus Ioh: 1. Cephas autē petram signi ficat, ut Hierony-
mus*

mus docet in cap. 2. Gal. & res certissima est; nam ubicunq; in textu hebræo est פֶּטְרָא , i.e. petra in Syriaco est ܩܦܗ Cepha. Cepha autem latine saxum seu rupem significat, Ierem. 4. 29. ad rupes ascenderant. Dixit ergo Dominus: Tu es cepha, vel latine, tu es Petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ex quo sequitur: HANC, non posse referri nisi ad Petrum, qui eo loco vocatus est petra. Hæc Bellarminus.

6. Robur toti9 argumenti nititur pronomine HANC quia enim pronomen HANC respicit petram proximè antecedentem, & vero Christus Petrum Apostolum appellavit Cepha siue petram: Inde infert Antagonista, Petrum esse illam ipsam petram, quæ sit fundamentum sustinens Ecclesiam. Sed negatur propositio & assumptio. In propositione falsum est $\lambda\upsilon\mu\mu\alpha$ Esauiticum, pronomen HANC respicere petram proximè antecedentem. Non enim pronomen $\delta\upsilon\tau\omicron\varsigma$, $\alpha\upsilon\tau\eta$, $\tau\acute{o}\tau\omicron$ Hic, hæc, hoc, est relativum à præcedenti dependens: Sed demonstrativum rem præsentem ostendens. In assumptione similiter fictum est, quod videlicet Christus affirmaverit, Petrum esse petram, siue quod Christus ad Petrum dixerit: Tu es petra, super quam ædificabo Ecclesiam meam.

7. Nam quod ad Syriacum idioma attinet concedimus sanè Christum illo usum esse. Quia vero N. Testamentum græcè scriptum Apostoli nobis reliquerunt: idcirco in dubijs de textu ad græcum exemplar, tanquam ad infallibilem fontem confugimus. Quandoquidem Syriaco idiomate ab Apostolis traditum N. Testamentum non habemus.

8. Nam quod ad Syriacam versionem, quæ hodie extat & quam primus in Europa imprimicuravit Albertus Vidmanstadius Ferdinandi Imperatoris Cancellarius, attinet, de ea Bellarminus ipse lib. 2. De verbo dei c. 4 sic ait: Præter Evangelium Matthæi & Epistolam ad Ebræos totum novum Testamentum translatum est ex Græco Idiomate in Syriacū: & paulo post. Quod si editio Syriaca ætate horū patrū (quos cōmemoraverat) posterior est; ut ego quidē mihi certo persuadeo, nō potest ejus authoritas tāta esse, ut cū editione græca, aut latina mēritō comparari possit. Ut interim illud omittā, quod desunt et. iā quædā in ea editione, quæ viris doctis & piis non admodū placēt. Hæc ille, è quib. liquet argumentū Bellarmini, ipso Bellarmino teste ficulnea basi de sumta è Syriaca versione niti, & proinde minimè subsistere.

9. Sed manifesta quoq; est falsitas, quod Aduersarius asserit, in Syriacaliqua cepham indiscretè Petrum & petram significare. h. e. appellativum esse.

esse & proprium. Nam genere distinguitur proprium ab appellativo: & propositio Christi, Tu es Petrus, in versione Syriaca sic exprimitur **ܕܢܬܗ ܗܝܢ ܫܦܬܐ** Tu es ille Petrus, apposito ad nomen **ܫܦܬܐ** pronomine masculino **ܗܝܢ**. At si vera esset Bellarmini sententia, usurpandum fuisset pronomen femininum & dicendum: **ܕܢܬܗ ܗܝܢ ܫܦܬܐ** Tu es illa petra. Iam autem non dicit Christus: Danth hi Cepha, tu es illa petra, sed ait: Danth hu cepha, tu es ille Petrus. Evanescit igitur quicquid Bellarminus ex Syriaco idiomate ad stabiliendum suum nugamentum attulit.

10. Evidentius verò etiam vanitas Suiticæ assertionis ex ipso pronomine apparet. Bellarminus ait; Pronomen HANC, notare & respicere Petrum, idq; ex Syriaco idiomate imperitis persuadere conatur. Ego verò vanum hoc esse è Syriaca versione ad oculū demonstro; Pronomen enim demonstrati-vū HIC in genere masculino hebræi sic efferūt **הִנֵּה** Hic, Chaldæi & Syri mutando literam **ה** in **א**, dicūt genere masculino **אֵינִי**, & præfixo **ה** Haiediah, præter usitatum alioquin linguæ morem, **הִנֵּה**, id est, **הִנֵּה** iste, hic. In feminino autē genere hebræi dicunt **הִנֵּה** hac, Chaldæi & Syri **ܗܝܢ** vel **ܗܝܢ** hac ista, & emphaticè cum **ה** Haiediah **ܗܝܢ** hac, ista. Iam verò in Syriaco Testamento Christus ita loquitur de Petro quidem genere masculino. Danth hu Cepha, Tu es ille Petrus: de petra verò subjicit genere feminino **ܫܦܬܐ ܗܝܢ ܫܦܬܐ**, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam. Iudicet jam, quicumq; linguam Chaldaicam vel extremis saltem labris degustavit, quid de Bellarminiano argumento sentiendum sit. Sic enim potius illud concluditur, inq; Pontificium cardinalem retorquetur: Pronomen **ܗܝܢ** HANC, si esset relati-vum, & proximè antecedens nomen repeteret, necessariò in genere cū illo consentiret: juxta omnium linguarum proprietatem, omniumq; grammaticorum unanimum consensum, qui perhibent: Relati-vum cum antecedente necessario convenire genere & numero. Atqui nomen antecedens **ܫܦܬܐ ܗܝܢ** iste Petrus, seu iste Cephas, nō consentit genere cū Hadah Cepha, vel Hadah Cepha non est ejusdem generis cum Hu Cepha, iste Cepha. Ergo ista petra non respicit Petrum Apostolum sed longè aliam Cepham si-ve petram.

11. Sentit Bellarminus argumenti sui nugacitatem è græco & latino textu patescere, ideo occupatione totū elidere conatur. Sic n. sibi ipsi objicit: At cur Latinus interpres non vertit: Tu es petra, & super hanc petram? Et respondet, latinum interpretem secutum esse græcum codicem. Non enim inquit, ex Syriaco vertit, sed ex Græco. Quasi verò mi Cardina-
lis, è sy

lis è Syriaco aliter verti potuisset, quàm eo, qui modò ex ipse Syriaco exemplari demonstratus est? Syriacus enim codex ita loquitur: Tu es ille Cephias, Petrus, & super hanc Cephiam, petram, ædificabo Ecclesiam meam.

12. Si porro de græca expositione queratur, cur Græcus non verterit: $\sigma\upsilon\ \acute{\epsilon}\iota\ \pi\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha$, $\eta\ \acute{\epsilon}\pi\iota\ \tau\acute{\alpha}\upsilon\tau\eta\ \tau\grave{\eta}\ \pi\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha$ $\delta\iota\kappa\omicron\delta\omicron\mu\acute{\iota}\sigma\omega\ \tau\acute{\omega}\varsigma\ \acute{\epsilon}\kappa\ \lambda\eta\theta\acute{\iota}\sigma\alpha\upsilon\ \mu\epsilon$. Sic enim omnino vertendū fuisse quilibet animadvertit, si una eademq; res per $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\upsilon\varsigma$ & $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha$ utrobique persona videlicet Petri significata fuisset. Hic iterum in promptu habet effugium, sed ridiculum, quod ait: quoniam apud græcos tam $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\varsigma$ quam $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha$ significat lapidem, visum est interpreti commodius homini masculinum, quàm fœmininum tribuere: sic tu Cardinalis.

13. Sed audi: verum quidem est, quando $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\varsigma$ appellativum est, quod idem significet cum $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha$. Tibi vero probandum incumbit, quod $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\varsigma$ hic in propositione Christi, tu es $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\varsigma$, sit appellativum, & simpliciter lapidem si ve saxum significet. Ego enim istud constantissimè nego, & assero, $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\upsilon\varsigma$ in Christi propositione, Tu es Petrus, nequaquam appellativum, sed proprium unius personæ esse nomen. Quandoquidem Christus ipse jã dudum ante hoc colloquiũ Petro hoc ipsum nomen indiderat, cum ipsum ad Apostolatam vocaret, ut perspicue testatur Lucas cap: 6, 14. Math. 10, 2. et Marcus ait cap. 3, 16. $\eta\ \acute{\epsilon}\pi\acute{\epsilon}\delta\eta\kappa\epsilon\ \tau\omicron\upsilon\varsigma\ \Sigma\acute{\iota}\mu\omega\upsilon\ \delta\omicron\nu\omicron\mu\alpha\ \pi\acute{\epsilon}\tau\rho\upsilon\varsigma$ imposuit Simoni nomen Petri. Cum igitur Petrus sit nomen proprium individui iam antea Simoni inditum, & Christus hic idem repetat, Tu es Petrus, non potest hic esse appellativum, sed manet proprium: cumq; proprium $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\varsigma$ ab appellativo $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha$ longissimè distet: idcirco consentaneum nullo modo est, Christũ, quando dicit super hanc petram &c., idem velle ac si dixisset, super hunc Petrum ædificabo Ecclesiam meam: Sed aliud innuit per $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\upsilon\varsigma$, personam videlicet Simonis Apostoli, & iterum aliud per $\pi\acute{\epsilon}\tau\rho\alpha$ rupem, nimirum, cui innititur structura Ecclesiæ.

14. His accedit, quod Christus nullibi Simonem appellavit petram si ve lapidem, sed Petrum eum nuncupavit, ut modò ostensum est. Unde igitur nunc hoc illi notum & planè inusitatum nomen petræ competeret, & unde probabitur, Simonem Apostolum vocatum fuisse petram, rupem, Saxũ, si ve lapidem? Merum itaq; & anile figmentum est, cum fœdissima petitione principij, quod Bellarminus nugatur, interpreti scilicet: ita visum esse, homini commodius nomen masculinum, quàm fœmininum tribuere, quasi verò Christus unquam nomen fœmininum, petra, si-

B

men

moni tribuisset. Pudeat te hujus figmenti si non desisti pudere. Petri nomen inditum est Simoni Matth: 10. Marc: 3. Luc: 6: sed petrae saxi, lapidis nullibi in uni-versa scriptura.

15. Ait Cardinalis, ambiguum fuisse futurum, si interpretes repetivisset nomen Petri masculinum, & dixisset, ἐπὶ τῷ πέτρῳ super hoc Petro. Iam v. non fuisset ambiguum sed planissimum, si Christi mens esset, Petrum constituere Ecclesiae fundamentum. Tunc etenim necessario dicendum fuisset: Tu es Petrus, & super hunc petrum &c, vel ita: Tu es petra, & super hanc petram. Sic enim omnis ambiguitas, obscuritas & dubitatio evitata fuisset: cum autem Christus genus mutaverit, manifestum est, cum per Petrum intelligere Simonem, per petram autem non illum, sed alium si-ve aliud.

16. Sed de grammatico Bellarmini argumento ista sufficiunt. Sequitur jam alterum ab antiquitatis testimonio, in quo sese tanquam in sua aula superbissimè iactitat, seq. victoriam ambabus manibus prehendisse sibi somniat. Quicquid autem ex antiquitate adducit, scopum disputationis non attingit. Non enim in eo versatur disputationis cardo, an patres alicubi appellarint Petrum respectu non propriae personae, sed doctrinae, petram, crepidinem, fundamentū ecclesiae, id enim nemo inficiatur; sed hoc est in quaestione, num eo sensu sic eum appellarint, quo Bellarminus, Iesuitae & pontificij, quod nimirum ex Petro monarcham Ecclesiae fecerint. Id vero validissimè negatur.

17. Ne tamen aliquid indiscussum maneat, non pigere nos debet laboris, quem impendemus excutiendis testimoniis hic à Bellarmino adductis sub antiquitatis titulo. Primum est concilij Chalcedonensis, quod act: 3. dicit: Petrum Apostolū omni laude dignum esse petrā & crepidinē catholicæ ecclesiae. Committit autem Bellarminus statim in hoc primo testimonio apertissimum crimen falsi, dum toti concilio & uni-versis ibi congregatis DCXXX. patribus tribuere non veretur, quod Romanēs legatorum, Pascasiani, Lucentij, Bonifacij, episcoporum, et Basilij presbyteri solummodo affirmatum est. Nam hi soli sessione tertia in sua oratione hac utuntur ὑπερβολικῆν commendatione Petri, idq. non sine causa, & non citra totius concilij præjudiciū. Nam eo jam dudum tempore, sicut etiam longè antè, Pauli videlicet, et Apostolorum ætate, gliscebatur mysterium iniquitatis, dum subinde Romani præsules, eorumq. satellites primatum Romano episcopo venditarunt, 2 Theß: 2, et quacunq. potuerunt ratione si-ve dolo, si-ve manifesta impudentia rapuerunt.

18. Ac quod hæc ita se habeant è sessione 16. ejusdè concilij luce meri-
diana clarius est. Nam in illa sessione cõmuni omniũ reliquorũ episcoporũ
exceptis solummodo vicariis et legatis Romani Papæ, æqualis dignita-
tis honor Constantinopolitano episcopo tributus est, cum Romano: Ac li-
cet Romanenses contra protestarentur, & subscribere recusarent, tota ni-
hilominus reliqua Synodus in sententia mansit, ita per Iudices, qui erant
politici & ecclesiastici tandè decernentes. Eadè intentione, inquit, permoti
centũ quinquaginta Deo amantissimi episcopi *ÆQVA* sedi novæ Romæ
privilegia tribuerunt, rationabiliter judicantes imperio et senatu urbem
ornatam *ÆQVIS* senioris Romæ privilegiis frui, & in Ecclesiasticis,
SICVT ILLA, majestatem habere negotiis, & secundam post illam
existere: &c. vide hac dere volumè conciliorum, synopsis Fr. Carranzæ,
fol: 193, editionis Lugdun: et nostram de concilijs narrationem histori-
cam fol: 423.

19. Omnium verò etiam luculentissimè narratio Liberati convincit
Bellarminum & Papistas impudentissimi mendacij. Nam illi adductis le-
gatorum Romanensium verbis, quibus Petrum prædicant petram & cre-
pidinem Catholicæ Ecclesiæ evincere conantur, ab universa Chalcedo-
nensi synodo, Petrum jam tum fuisse habitum monarcham Ecclesiæ uni-
versalem, Liberatus autem Brevariij cap: 13. hoc figmentum ita re-
tundit: cum Anatolius inquit, Constantinopolitanus præsul
CONSENTIENTE CONCILIO PRIMATVM ob-
tinuisset, legati vero Romani episcopi contradicerent: **A IVDI-
CIBVSET EPISCOPIS OMNIBVS ILLA CON-
TRADICTIO SVSCEPTA NON EST. ET licet sedes
Apostolica nunc usq; contradicat: QVOD A SYNODO FIR-
MATVM EST, IMPERATORIO PATROCINIO
PERMANET.** Hæc ille.

20. Deniq; impudentiæ Esauitæ validissimè redarguit Gregori⁹ I. ipse
pontifex, qui libro 4. Registr. Epist: 32. licet per authoritates illas: *Pasce
oves meas* &c. & *Tu es Petrus* &c. Petro apostolorum principi totius Ec-
clesiæ curam à Domino commissam dicat: tamen universalem episcopũ
fuisse negat; verba ejus sunt hæc: Cura totius Ecclesiæ et principa-
tus Petro committitur, & tamen universalis Apostolus non vo-
catur. Et vir sanctissimus, confacerdos meus, (episcopus nimi-
rum Constantinopolitanus) vocari universalis Episcopus cona-

tur. Exclamare compellor: o tempora, o mores. Et infra: Si nomen illud quisquam in ecclesia sibi arripit, universa ergo Ecclesia (quod absit) a statu suo corrumpitur, quando is, qui appellatur universalis, cadit. Sed absit a cordibus Christianorum nomen istud **BLASPHEMIÆ**, (attende Bellarmine, pontifex Rom. nomen universalis Episcopi Nomen Blasphemiae appellat) in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.

21. Subjungit autem Gregorius id, quod ad rem presentem pertinet, et clarissima decisione ostendit, Romanum pontificem universalis Episcopi titulum in chalcedonensi quidem Synodo a quibusdam oblatum usurpare tamen recusasse. Sic enim ait: Certe pro B. petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum, Romano Pontifici oblatum est, sed nullus eorum unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, vel consensit: ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito privarentur Sacerdotes universi. Dicit a Synodo chalcedonensi oblatum esse singularitatis vocabulum, id ipsum autem de tota Synodo et omnibus in ea congregatis tam politicis quam ecclesiasticis universaliter accipi non posse, de quibusdam autem Romanae eminentiae plus a quo ferentibus exponi debere, non modo est jam commemorata sessio decima sexta, Liberatque verissima narratione patet: sed etiam ex eo, quod ipse Georgius testatur, Romanum praesulem oblatum eminentiae nomen non accepisse, nec usurpasse. Nam si recte consentientibus omnium suffragiis juxta sacrarum literarum regulam honor fuit oblatum, merito accipi et usurpari debuit. Quandoquidem autem Romani pontifices, testante et approbante Gregorio, non modo prudenter sed etiam pie et sacris literis convenienter honorem illum recusarunt. Idcirco non bene et juxta normam scripturae fuit oblatum. Sicut enim honorem sibi debitum parentes, praecipuos, principes, ecclesiae doctores aspernari et negligere non possunt, citra divinae sanctionis violationem: Ita quoque Rom. pontifex, si oblatum ei fuit primatus et principatus in Concilio Chalcedonensi a quibusdam juxta Dei constitutionem, eum detrectare saluo officio et conscientia non debuit. At quia Gregorius asserit, oblatum honorem primatus jure fuisse neglectum, nec a quoquam ante se usurpatum: neque deinceps usurpandum: ideo in oblatione peccatum fuerit necesse est.

22. Secundum testimonium producit Cardinalis ex hymno B. Ambrosij
qui in

qui in laudib. die Dominico jam ab annis MCC in Ecclesia cantari est solitus, cuius initium: Aeterne rerum conditor. &c. Nam in eo hymno Ambrosius galli cantu dormientes excitat, & inter alia dicit: Hoc, (scilicet gallo) ipsa petra Ecclesiae, canente, culpam diluit.

23. Respon. Appellat sanè Ambrosius Petrum Ecclesiae petram: Sed num ratione personae suae, quod vult aduersarius? Minimè gentium; Respectu autem confessionis. Sic enim Ambrosius seipsum explicat in 2 c. Eph. exponens Apostoli verba (super aedificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum) ubi ait: unde dicit Dominus ad Petrum: super istam petram aedificabo Ecclesiam meam, hoc est, in hac catholicae fidei confessione statuo fideles ad vitam, Ipso angulari lapide Iesu Christo &c.: Hic sensus est, unde Dominus ait: super istam petram aedificabo Ecclesiam meam. Duos enim populos in se suscepit Salvator et fecit unum in Domino sicut & lapis angularis duos parietes continet in unitate domus firmatos. Idem Ambrosius serm: 68. ait, Petrum esse petram, quatenus fidei fundamentum contineat: in cap: 2. Epistolae ad Galat. scribit, Paulum aequè accepisse primatum ad fundandam Ecclesiam, ac Petrum; In libro verò de Salomone prolixè ostendit, solum Christum esse petram, super quam extucta sit Ecclesia.

24. Ambrosio pari sophistica Bellarminus adjungit Augustinum, qui lib: Retract: cap: 21, quaedam à se in libro contra epistolam Donati scripta explicat, et inter alia ait: In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipsa petra Ecclesiae canente culpam diluit. Sed scio me postea saepissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: Tu es Petrus & super hanc petram aedificabo meam Ecclesiam, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: Tu es ille Christus filius Dei vivi? ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur et accepit claves regni caelorum. NON ENIM DICTVM EST ILLI, TV ES PETRA, SED TV ES PETRVS. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Sic ibi Augustinus: è quibus apparet Augustinum non agnoscere pro genuina sententia sed repudiare, quod aliquando dixerit, Petrum esse petram.

25. Ac tametsi ibidem Augustinus cuiuslibet liberam relinquat, ut harum duarum sententiarum quæ sit probabilior eligat lector, nihil tamen inde dogmati pontificio accedit: siquidem Augustinus seipsum in modo adductis et aliis locis satis explicuit, quo sensu Petrum appellarit petram Ecclesiæ, videlicet respectu petrinae confessionis. Verum de germana Augustini mente paulo post agetur, eamque à pontificiorum opinione longissime dissidere, ostendetur.

26. Idemque planè est statuendum de omnibus reliquis patrum sententiis, quas Bellarminus enumerat, quod videlicet in omnibus Petrus appelletur petra respectu confessionis & doctrinae. Et hac quidem generali responsione omnes dimittere possemus; ut autem sophistica Iesuita melius deprehendatur, lubet singulas percurrere. Hinc .n. apparebit, Petrum non respectu suæ personæ, sed doctrinae, fidei, confessionisque fundamentum et petram Ecclesiæ nominatum fuisse. Nam Ecclesia extructa est super fundamento prophetarum & Apostolorum ipso angulari lapide Iesu Christo, Eph: 2, hoc est super doctrina illorum.

27. Et Paulus ipse Gal: 2. 9. Iacobum, Cepham, Iohannem nominat στήλας, id est, columnas & suo modo fundamenta Ecclesiæ: è qua sententia etiam apparet, Petrum nullam monarchicam eminentiam præ Iacobo, Iohanne & aliis apostolis obtinere, si vel maximè super ipso tanquam στήλη ratione doctrinae de Christo, ædificata dicatur Ecclesia.

28. Similiter Apoc: 21. 14. de cœlesti Hierosolyma dicitur, quod murus civitatis habeat duodecim θεμελίαις fundamenta, quibus inscripta sint nomina duodecim apostolorum agni. Si duodecim apostoli sunt Ecclesiæ fundamenta, quid præ reliquis peculiare Petro vendicabitur?

29. Petrus adeo non arrogat sibi aliquam prærogativam et monarchicum axioma, quod fundamentum et columna est Ecclesiæ, ratione suæ fidei, doctrinae & confessionis ut cum omnibus fidelibus hunc honoris titulum communicet; 1. Petr: 2, ubi cum Christum nuncupasset lapidem illum angularem, preciosum, de quo Esa: 8. subjungit: Et vos tanquam lapides viventes ædificamini, domus spiritualis &c.

30. Sed ut ad rem veniamus, adscribit Antagonista è patrib. græcis Origenem primo loco, qui homil: 5. in Ex: Petrū nuncupat Ecclesiæ fundamentū & petram solidissimam. Verum quo sensu Origenes hoc epitheton Petro tribuat, nulla indiget divinatione. Nam Origenes tract: in Math: sic ait: Petra est, quicumque est discipulus Christi, & super ta-
lem

sem petram construitur omnis ecclesiastica doctrina. Quod si super unum istum Petrum tantum existimas totam ædificari Ecclesiam, quid diciturus es de Iohanne filio tonitruui, & Apostolorum unquoq^{ue}? Num audebimus dicere quod aduersus Petrum solum nõ sint prævalituræ portæ inferorum? An soli Petro dantur clauēs regni cœlorum? Verè ergo ad Petrum quidem dictum est, Tu es Petrus, et super hanc petram etc. tamen omnibus Apostolis, et omnibus perfectis fidelibus dictum videtur, quoniam omnes sunt Petrus et petra, et in omnibus ædificata est Ecclesia Christi, et aduersus nullum eorum, qui tales sunt, portæ prævalent in ferorum. Idem Origenes exponens illud de scissis tempore passionis Christi Math. 27, tractatu in Math: 35. omnibus fidelibus competere dicit, quod sint petrae ædificati fide super fundamento prophetarum & apostolorum.

31. Verba eius sic habent: Probamus autè scissas tunc petras esse prophetas primum quidem ex eo, quod Christus dicitur petra spiritualis: & rationis est omnes imitatores Christi similiter dici petras esse, sicut etiam lux mundi dicitur ex eo, quod ipse Petrus à Domino petra est appellatus, cum dicitur ei tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalerunt ei: Maxime autem demonstratur ex eo, quod omnes quibus non prævalent portæ inferorum, qui opus nominis petrae habent in se, id est, apostoli et prophetae, petrae sunt ipsi, et sunt fundamenta eorum, qui super eis ædificantur; secundum quod ait Apostolus, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo Domino nostro. Superædificantur autem Apostolis & prophetis maxime qui sunt de ecclesia immaculata & apostolos Christi imitantur, et prophetas non spernunt, sed scrutantur etiam eorum scripturas. Hinc ita concludo: Iuxta Origenem omnes fideles Christi imitatores & discipuli sunt petrae, super quorum fide ædificata est Ecclesia. Ergo non solus Petrus est petra, super quam extructa est ecclesia. Ac si Petrus idcirco est monarcha Ecclesiae, quia ab Origine vocatur petra: pari ratione omnes et singuli fideles, secundum ejusdem Origenis pronunciatum erunt monarchae Ecclesiae, quod vehementer absurdum est. Præterea cum Origenes dicit eos esse fundamentum ecclesiae, contra quos portæ inferorum non prævalent: contra Petrum autem portæ inferorum prævaluerint, cum Christo passionem dissuaderet, et eam ob causam à Domino Satanæ appellaretur, et iterum cum Dominum

ter

ter abnegaret, Matth, 16 et 26, idcirco Petrus, juxta Origenem, fundamentum ecclesie esse non potuerit. Cumq; multi Pontifices Romani in doctrina caelesti aberrarint, idololatria aliisque contra primam et secundam tabulam enormibus sceleribus contaminati fuerint: Iob. 12. in adulterio comprehensus & confosus, Sylvester 2 diabolo totus addictus & manipatus sit, ut testatur Platina et alij Pontificij scriptores: inde liquet, eos Ecclesie fundamenta et monarchas nullo modo fuisse.

32. Origini subjungit Athanasium, qui in epistola ad Felicem scribit: Tu es Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesie columna, i. e. Episcopi, sunt confirmata &c: Et addit Cardinalis: Eleganter Athanasius Petrum facit fundamentum quo nituntur Episcopi &c: Quis autem non detestetur Sophista impudentiam, quod, ubi Athanasius ait Ecclesie columnas confirmatas esse super Petri fundamento, ille mox infert, Petrum esse illud ipsum fundamentum. Quasi verò non toto caelo disiderent: Tu es fundamentum, quod non dixit Athanasius: Bellarminus autem fingit: & ista propositio super tuum fundamentum, Petre, confirmatae sunt columnae Ecclesie, quam Athanasius agnoscit. Taceo quod epistola ad Felicem non Athanasij germana, sed supposititia est, ut ex multis documentis apparet.

33. Non minus veteratoriè adsciscitur porro à suite Basilij testimonium in 2 contra Eunomium abinitio, de quo sciendum, quod Basilus ibi disputet de discrimine essentiae, & officij, et exempli loco adducit Petrum, & ait: cum audimus Petrum, qui fuit filius Ionæ, è Betsaida frater Andreæ & à piscatoribus ad Apostolatū vocatus, qui propter fidei excellētiā in se ædificationē Ecclesie suscepit, horū nihil est essentia tanquā hypostasis & persona mente cōcepta. Ex istis Basilij propriis verbis geminum Bellarmini sophisma deprehenditur. Vnum est, quod contra Basilij mentem hanc προσκροσίαν, quod Petrus vocatus est petra, ad ὑπόστασιν & personam Petri detorquet, cum tamen Basilus diserte contradicat: ὡν οὐδ' ἐν ἑσιν οὐσία ὡς ὑπόστασις νοημένη: ὡς τὸ ὄνομα, τὴν χαρακτηριστικὰ μὲν ἡμῖν ἀφορίζει τὸ πέτρον, αὐτὴν δ' οὐδ' αὐτὸ παρίσκει τὴν οὐσίαν, hoc est, eorum quae commemorata sunt, nominum nullum est essentia, tanquam persona cogitatione concepta. Itaq; nomen notam & proprietatem Petri nobis determinat, ipsam autem nequaquam representat personam.

34: Alterum sophisma Bellarmini est, quod cum Basilus disertè indicet

dicet causam, ob quam, & respectum, cuius gratiâ ædificationem Eccle-
siae Petrus in se susceperit, nimirum ὁ πρῶτος πῖσως excellentiam fidei,
Bellarminus ædificium Ecclesiae imponit personæ Petri. Nam Basilius fi-
dem Petri & confessionem pro fundamento Ecclesiae substernit, Suita vero
personam Petri, quæ planè sunt contraria.

35. Luculentissimè vero Basilius in libro de pœnitentia ostendit, quò
respectu Petrus appelletur Petra, ubi sic scriptum reliquit: Petrus dix-
erat: Tu es filius Dei vivi, et audierat, se esse petram, ita laudatus
à Domino. Licet enim petra esset, non tamen petra erat, ut Chri-
stus. Vt Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis pe-
tra, Petrus vero propter petrâ. Axiomata namq; sua Christus lar-
gitur aliis. Lux est, vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est, & fa-
cit Sacerdotes. Ovis est, & dicit, Ecce ego mitto vos tanquam o-
ves in medio luporum. Petra est, & petram fecit. Hæc Basilij verba
adeo clarè ostendunt, Petrum ex sententia Basilij, à Christo nuncupari
petram non ratione sui, sed respectu confessionis, ut nullis sophisma-
tum nebulis locus relinquatur.

36. Porro in testimonio Gregorij Nazianzeni, quod Bellarminus ex
ipsius oratione de moderatione servanda in disputationib; attrahit, pueri-
lem iterum cõmittit paralogismum. Nazianzenus enim ait, Petrus vo-
catur petra atq; Ecclesiae fundameta suæ fidei cõcredita habet. Bel-
larminus autè inde sequi opinatur, ipsam Petri personam esse fundamen-
tum Ecclesiae. Sed esse fundamentū Ecclesiae, & suæ fidei concredita habere
fundamenta Ecclesiae, tanquam cœlū & terra distant. Nam si Petro funda-
menta ecclesiae concredita sunt, differunt igitur Petrus, cuius fidei funda-
menta Ecclesiae sunt cõmissa, et ipsa Ecclesiae fundamenta, quæ illi concredi-
ta sunt. Ac cum plura sint Ecclesiae fundamenta, omnia videlicet doctrinæ
cælestis capita, ideo non unus Petrus erit unicum Ecclesiae fundamentum.

37. Epiphanius adhæc in Ancorato dicit sane Christum constituisse
Petrum firmam petram super quam Ecclesia Dei ædificata sit, sed ibidem
præmittit, factum hoc esse propter confessionem ejus de Christo, quam æ-
ternus pater ipsi revelaverat. Sicut idem Epiphanius lib. 2 contra hæ-
res: Tom. 1: hæc: 59, quæ est Catharorum, dilucidissimè hanc suam men-
tem exprimit, ita scribens: Qui negavit ad tempus, sanctus ille Pe-
trus ac summus Apostolorum (summus videlicet amore Christi,
non principatu) qui verè nobis factus est firma petra fundans fi-

C

dem

dem Domini, super quam (fidem) ædificata est Ecclesia per omnes modos, primum quidē quia confessus est, Christum Filium Dei viventis, & audiuit, super hanc petram FIRMÆ FIDEI ædificabo Ecclesiam. Hæresi vero 74 ait: Portæ inferni verè sunt omnes hæreses, sed contra petram non prævalerunt, id est, CONTRA VERITATEM. Epiphanio proinde veritas, & fides, & Christus Ecclesiæ fundamentum est, ut etiam hæresi 69 expressè testatur.

38. Chrysostomi quoq; sententiam aleatorum more Cardinalis tractat. Nam Chrysostomus hom: 55. in Matthæum ait equidem: Ego tibi dico, inquit Christus, Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam. Sed num ratione personæ Petri, ut vult adversarius, hæc scribit Chrysostomus? Nequaquam, sed intuitu fidei & confessionis Petri: sicut ipse paulo ante dixerat: super hanc petram, hoc est, fidem atq; confessionem, ædificabo Ecclesiam meam: Et homilia 10. in Matthæum ait, quod Petrus à petra Christo nomen acceperit: sicut n., inquit, à Christo dicimur Christiani: ita à petra dictus est Petrus, hoc est πέτρος si quis ergo de nobis fuerit πέτρος & talem, hoc est eam fidem habuerit, ut super illam ædificetur Ecclesia Christi &c: unde iterum patet, Petrum nominari petram, & fundamentum Ecclesiæ non ratione suæ personæ, sed fidei & confessionis. Sic in homilia de Pentecoste tom: 3. f: 573. Apostoli inquit fundamentum erant Ecclesiæ, quàm confessione ipsorum fundata est Ecclesia dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Vides Chrysostomum nihil peculiaris eminentiæ præ reliis Apostolis Petro tribuere: vides etiam confessionem Petri, quæ erat omnium Apostolorum, esse fundamentum Ecclesiæ. inq; eadem concione paulo post: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. super hanc petram, NON DIXIT SUPER PETRVM. Non enim super hominem, sed super fidem ædificavit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides? Tu es Filius Dei vivi. Idemq; Chrysost. hom: 20. in 7. cap: Matth: oper. imperf: petram dicit esse fortitudinem fidei, propter quam Simon petra sit dictus: & hom: 25. in Matt. Petram vocat Christus doctrinæ suæ firmitatem & certitudinem: & hom: 53. super fidem & confessionem ejus fundavit Ecclesiam. Ita nimirum de petra, super quam ædificata est Ecclesia, Chrysostomus disserit.

39. Vb

39. Vbi nunc stas Cardinalis, quo te cum fumis tuis proripis, quibus so-
mniaſti, omnium te oculos excæaturū, ſcilicet eorū, qui tuis allegationi-
bus fidem habent, & patrum monumenta non aſpiciunt. Pudeat te,
pudeat, inquam, pudendarum depravationum, & horribilium crimi-
num falſi.

40. Sed progredior ad reliqua. Nam Cyrillum è libri 2. in Ioh: cap. 12.
prorſus ſimili artificio adducit, omittens antecedentia, in quibus ille clarè
oſtēdit quo reſpectu in Petro, tanquā in petra lapideq, firmiſſimo ædifica-
ta ſit Eccleſia: Ait enim Chriſtū, qui ut Deus corda & renes ſcruta-
tur, quiq; nihil ignorat, intuitu fidei Petri eum appellalle petram
& lapidem firmiſſimum, in quo ſuam ædificaturus eſſet Eccleſiam:
Nec ignorare potuit Ieſuita, quo pacto idem Archiepiſcopus dialogo
quarto de S. Trinitate non procul ab initio ſuam ſententiam pluribus
declaraſſet, ubi ſcripſit: Petram opinor per agnominationem aliud ni-
hil, quam inconcuſſam & firmiſſimam apoſtoli fidem vocavit, in qua
Eccleſia Chriſti ita fundata & firmata eſſet, ut non laberetur, & eſſet
inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens.

41. Pſellus in caput 5. Cantici cant: apud Theodoretum ita ſanè an-
notatum dedit: Per crura ejus (ſponſi Eccleſiæ Chriſti Petrum intel-
lige Apoſtolorum principem. In hoc enim Dominus in Evangeliiſ
ſe eccleſiam ſuam ædificaturum promiſit. Sed præcedente pagina è
communi trium patrum Maximi, Nili, & Pſelli expoſitione manifeſtum
eſt, quod Pſellus Petrum non ratione perſonæ, quæ profectò ita com-
parata erat, ut hæc crura nõ le viter Antiochia, & alibi vacillarint Gal: 2.
ſed ratione doctrinæ cruribus Chriſti adnumbrari ſtatuerit. Quin & il-
lud ex ipſius Pſelli annotatione liquet, quod Petrus non alio pacto per
crura ab ipſo denotetur, quam alij eximij eccleſiæ doctores per reliqua
membra. Nam ibidem ait, quod labium totum aureum ſponſi denotet,
Chryſoſtomum & reliquos doctores illius æquales, maximum Baſilium,
eximium Gregorium, quorum è labris doctrinæ ſermones melle dulciores
emanarint, quos qui deguſtent, multa impleantur myrrha, unde neceſſa-
riò ſequeretur, ſi Petro principatus aliquis per comparationem cum cru-
ribus Chriſti à Pſello tribueretur, multo magis eum Chryſoſtomo, Baſilio,
Nazarenno tributum ab eo fuiſſe, per collationem cum ore & labiis.

42. Atq; hæcenus de græcis patribus, quorum testimoniis Bellarmi-
nus conatur evincere Petrum ratione ſuæ perſonæ vocatum eſſe petram:

Sed ostensum est, omnes illos non alio quam fidei & confessionis intuitu
petræ appellationem illi assignare. Ac proinde nullum personale axioma
huic Petro accedere, multoq; minus fœditatis Petri successoribus monarchi-
cam eminentiam attribui: Sed pari ratione omnes Apostolos et fideles, qua-
tenus firma in Christum fide sunt præditi, petras esse. Iam ad Latinos
quod attinet, primo loco ponit Tertullianum, qui in libro de præscriptio-
ne adversus hæreticos contra Gnosticos, asserentes, quod apostoli non o-
mnia sciverint ad salutem necessaria, dicit: An latuit aliquid Petrū
ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?

43. Sed quo pacto Tertullianus Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram
appellet, in libro de Pudicitia declarat, ubi ait: In ipso (Petro) ec-
clesia extracta est, id est per ipsum, ipse clavem imbuit: vides
quam: Viri Israëlitæ auribus mandate quæ dico: Iesum Nazare-
num virum à Deo vobis destinatum &c: Hic enim nulla usus cir-
cutione docet Petrum non ratione primatus & principatus, ut Bellar-
mino videtur, sed respectu muneris Apostolici et professionis Evangelij
de Christo petram appellari, & ecclesiam non super ipsum sed per ipsum,
hoc est per ministerium ipsius ædificatum esse. Idem verò reliquis Aposto-
lis cum Petro commune est, Eph: 2. Nam ut Hieronymus ait libr. 3. in cap.
Am: 6. Petra Christus est, qui donavit O M N I B V S A P O S T O L I S,
ut ipsi quoq; petræ vocentur.

44. Cyprianus, quem secundo loco Bellarminus inter Latinos con-
stituit, in epist: ad Quirinum ait: Petrum Dominus primum elegit et
super eum ædificavit ecclesiam suam. Quod autem Cyprianus hac lo-
cutione sibi alias etiam familiari nullam principatus eminentiam Petro
adscribat, sed solummodo ordinis et unitatis in ecclesia convenientiam de-
scribat, ipse luculentissime in libro de unitate ecclesiæ demonstrat, ubi hæc
extant: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit,
quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo ecclesiam me-
am &c: super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pa-
scendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post
suam resurrectionem PAREM POTESTATEM tribuat, & dicat,
sicut misit me Pater meus &c: tamen ut unitatem manifestaret
unam cathedram (Romanā Cyprianus nec nominat nec intelli-
git, sed apostolicam, quæ est in unitate apostolicæ doctrinæ) con-
stituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate
disposuit. Hoc erant utiq; & ceteri Apostoli (nota Bellarmine) quod fuit
Petrus

Petrus, pari consortio præditi (observa & admoue aures oculosq; cardinalitios) ET HONORIS ET POTESTATIS, sed exordium ab unitate proficiscitur.

45. Sic Hilarius, qui in ordine est tertius, in commentario super Matthæum, c. 16. ait: O in nuncupatione novi nominis felix ecclesiæ fundamētū, dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret, nullo verbo asserit Petrū esse illam petram æternæ salutis, sed illius fidem & confessionem, quod dixerat Petrus, Tu es Filius Dei viventis. In iis enim, quæ immediatè antecedunt ait Hilarius, Christū à discipulis postulasse id, in quod se credentium fides debebat extendere, ut nimirum ab iis agnosceretur unigenitus Dei Filius, & mox subiicit, quod Petri confessio dignum præmium sit consecuta, ut nimirum ea ipsa Petri confessio novum nomen sortiretur, & petra vocaretur, cui superstruenda esset ecclesia. Quodq; Hilarij hæc genuina mens sit ex eo etiam apparet, quod appellat nuncupationem novi nominis. Petro sanè nullum novum nomen temporis fuit inditum, sed illud quod iam ante habebat, inq; principio sui apostolatus sortitus erat, Marc: 3. 16, Iohan: 1. 42. à Christo repetitum, idq; ob hanc evidentem & singularem causam, quam eruditè expressit Chrysostomus (lubet enim illam annotare τὸ εὐκταῖον ἐν τῷ εὐκταῖον) hom: 55. in Matth: Quid igitur Christus? Tu es Simon filius Jonæ tu vocaris Cephās; nam quia Patrem meum prædicasti, ego etiam nomino, qui te genuit: ac si diceret, quemadmodū tu Jonæ filius es, sic ego Patris mei filius sum. Nam alioquin supervacaneū omninò atq; superfluum esset dicere, tu es filius Jonæ. verum quia ille dixit: tu es filius Dei, ut SIC te esse filium Dei ostendat, sicut Jonæ filius, ejusdem fidelicet substantiæ cum Patre, idcirco illud adjecit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c.

46. Cum Petrus itaque nullam novi nominis nuncupationem adeptus, sed ipsius confessio petra nomine novo nuncupata fuerit: manifestū evadit, Hilariū per petram nō Petrū ipsum, sed Petri confessionē innuere. Deniq; vero impiū & in Christi meritū cōtumeliosum est, Hilarij verba de petra digna ædificatione Ecclesiæ ad ullum hominē detrahere, siquidem Hilarius ei petræ tribuit, quæ soli Christo cōpetunt, infernas leges, & tartari portas & omnia mortis claustra dissolvere Act: 4. 1. Tim. 2. Ebr: 2.

47. Ne ve ullus relinquatur lectori scrupulus & causa dubitandi de genuina Hilarij sententia accedat ejus declaratio, quæ extat libro 6. de



Trinitate, ubi perspicue dicit: super hanc confessionis petram Ecclesie ædificatio est: Et paulò ante, Ex illa familiaritate Domini & revelatione cælestium mysteriorum dignus Iohannes, & post Sacramenti confessionem beatus Simon ædificationi Ecclesie subjacens, & claves regni cælestis accipiens, & reliqui omnes Spiritu sancto prædicantes. Idem Hilarius lib. 2. de Trin: unum hoc est immobile fundamentum, una hæc est felix fidei petra Petri ore confessa, Tu es filius Dei vivi. Ita Hilarius: quid igitur eminentiæ Petro præ reliquis evangelij præconibus relinquit Hilarius.

48. *Ex his apparet, quantus nugator sit Bellarminus qui Erasmus vituperat, quod in cap. 16. Matth: apud Hilariũ ad marginẽ adscripsit (ecclesie fundamentũ fides) & quod negare audeat, Hilarium eo loco fidei mentionem fecisse: quod n. istic de fide credentium loquatur paulò ante ex ipsius verbis apparuit: & quod deniq; non veretur inficiari fidem novo nomine petrae esse nuncupatam, & contra affirmare Petro novum nomen esse inditum, cui assertioni historia validissime reclamat.*

49. *De Ambrosij sententia supra dictum est, ut repetitione non sit opus. Hieronymus dogmati pontificio non patro cinatur quicquam, quandoquidẽ in c. 16. Matth: dicit, appellationem Petri Petro communicata esse, eò quod credebat in petram Christum, eademq; etiam ob causam nomen petrae per metaphoram, quod alioquin soli Christo conveniat: idq; perinde factum esse, sicut Math: 5. fideles nuncupati sunt luminaria mundi: suas enim appellationes Christo fidelibus communicasse. Et Ambrosius ibidem Serm: 47. ait, Petrũ ideo petra dici, quod primus in nationibus fundamenta posuerit: ex quo apparet Petrum nõ alia ratione vocari petram, quam illa, qua etiam Paulus & reliqui Apostoli & doctores Ecclesie, quod nimirum ut prudentes architetti fundamentum posuerunt, 1. Cor: 3. Et hom: 48. dicit: Recte igitur quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, ut qui cum Domino fidei societatem habebat, cum Domino haberet & Domini nominis unitatem, ut sicut à Christo Christianus dicitur, ita & à petra Christo petra Apostolus vocaretur. Lib. 2. in Lucam cap. ult: docet Christum esse angularem lapidem, in quo exstructa sit ecclesia: Et ad Eph. 2. ait: Enitere ergo tu, ut petra sis, & si petra fueris, in Ecclesia eris: Item: Apostoli fundamenta jecerunt, inde dicit Dominus ad Petrum, super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, in hac catholice fidei confessione statuo fideles ad vitam.*

Item

Item de incarnationis Dominicae Sacrament: cap: 5: Fides ergo est
Ecclesiae fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est,
quia portae mortis ei non praevalerunt, sed confessio vincit infernum.
Et paulo ante cap: 4. ait, Petro datum esse primatum confessionis, non
honoris, primum fidei, non ordinis.

50. Testimonium Hieronymi ex epistola ad Damasum de Arriano-
rum hypostasibus parum momenti habet propterea quod Hieronymus
non satis dilucide expressit, an per petram, super qua aedificata est Ecclesia,
intelligat Christum, quod verisimile est, siquidem proximè ejus mentio-
nem fecerat, an Petri confessionem, cum qua se consentire testatur. De
persona Petri certè ne gry quidem eo in loco. Ego nullum, inquit, pri-
mum nisi Christum, sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ
Petri communione consocior: super illam cathedram aedificatam
ecclesiam scio. Cathedram hic Petri appellari audio, personam Petri nequa-
quam. Ac quod Hieronymus per cathedram Petri non Romani pontificis
sedem & successorem, sed doctrinam Petri intelligat ex ipso ejus loci sco-
po clarum est. Quantum etiam alioquin Hieronymus Romanæ sedis tribu-
at è catalogo scriptorum Ecclesiasticorum in vita Marci evangelistæ, &
ex epistola Paulæ & Eustochij ad Marcellum notissimum est, ubi Romam
appellat Babylonem à Petro & Iohanne sic nuncupatam affirmans. Quod-
que Petro Hieronymus nullam monarchicam dominationem tribuat, ex eo
etiam luculenter apparet, quod ad Iovinianum lib. 1, ait: cuncti claves
regni coelorum accipiunt, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidatur:
& in Amos cap: 6. Petra Christus est, qui donavit suis Apostolis, ut ipsi
quoq; petra vocentur: & lib: 1. ad Eph: Omnes civitates sanctorum & do-
mestici Dei super aedificati sunt fundamento prophetarum & Apostolo-
rum, ipso summo angulari lapide Iesu Christo. Quæ omnia evincunt, Pe-
trum de Hieronymi sententia non aliter esse fundamentum Ecclesiæ, quam
ceteros apostolos, imò etiam omnes fideles, ratione videlicet fidei, do-
ctrinæ & confessionis, non ullo dominationis monarchicæ respectu.

51. Ad Augustinum venio, Cuius duobus testimonijs à Bellarmino
prolatis oppono eius retractationē supra adscriptam, & præterea eviden-
tissimam declarationem serm: 13 de Verbis Domini. Petra principale,
inquit, nomen est: ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro: quomo-
do non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur.
Tu es ergo inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus
es, super

es, super hanc petram quam cognovisti dicens, tu es Christus Filius Dei vivi, & edificabo Ecclesiam meam, super me & edificabo te, non super te & edificabo me. Nam volentes homines & edificare super homines dicebant: Ego quidem sum Pauli, ego Cephæ etc, & alij, qui volebant & edificari super Petrum sed super petram, dicebant: Ego autem sum Christi.

52. Idem Augustinus tract: in Iohannem 124: Ideo quippe ait Dominus: super hanc petram & edificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus Filius Dei vivi. Super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus es, & edificabo Ecclesiam meam. Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse & edificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. 1 Cor: 3.

53. Ad Maximi deniq, & Paulini sententias expedita est responsio supra quoq, tradita, quod nimirum Christus Petro communicavit suam appellationem, eumq, suo modo petram nuncupavit. Inde vero nulla præ-eminentia Petro conitngit, cum reliqui etiam Apostoli & pacto sint petrae & lapides fundamentales Apoc: 21. imò omnes in universum fideles sunt petrae vivæ 1. Petr: 2.

54. Leo papa quia in propria causa testis adducitur, idcirco eius testimonium, ut ineptum, meritò repudiamus.

55. Ex hac autem commemoratione duo quilibet animadvertit, primò, quod Bellarminus pessima fide plerasq, patrum & antiquitatis sententias produxerit, deinde si autoritate patrum hac in re certare velimus, quod non opus est nobis, qui scripturae fundamento nitimur, quod plures eosq, synceriores nostra interpretatione stantes producere possimus.

56. Superioribus enim accedit etiam Theophylactus in caput 16. Matth. ita scribens: Quia Petrus confessus erat eum Dei filium, dixit, quod hæc confessio quam Petrus confessus est, fundamentum sit futurum credentium, ita ut omnis homo exstructurus fidei domum, hoc jacturus sit fundamentum.

57. Beda presbyter Anglicanus, super hanc petram id est, Salvatorem, quem confessus es, & edificatur Ecclesia.

58. Nicolaus Lyranus ante annos 245. & amplius sub medio papatu sic exposuit Christi sententiam. Et ego dico tibi, id est, pro te & sociis tuis, & quia tu es Petrus, i. e. confessor petrae veræ, quæ est Christus & super

& super hanc petram, scilicet, quam confessus es, id est, super Christum ædificabo Ecclesiam meam.

59. Postquam Antagonista suam sententiam patrum de tortis & detruncatis testimonijs stabilire conatus est, sed, ut vidimus, frustra, nunc progreditur, & in eos, quos ipse pro hæreticis hæretico suo in cerebro habet, inuehitur. De personis earumq; confessione in alijs fidei capitibus hic differendi locus non est, de expositione vero præsentis dicti Matth. 16. quid illi senserint ut discutiamus necessitas efflagitat.

60. Perperam proinde Bellarminus Ioh: Calvinum levitatis & mendacij hac in parte arguit, quod scripsit, patrum se nolle adducere testimonia, non quod non possit, sed quod de re tam clara disputando non velit molestus esse lectoribus: Verissimum enim hoc esse, è superiore commemoratione nemo non animadvertit. Paparum & Canonistarum interpretationes ipse sibi retineat.

61. Petulanter etiam carpit Erasmus, qui dixit dictum Christi, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, servato ordine, omnibus fidelibus competere, id ex Origenis prima in Matthæum homilia probavit. Sic autem Origenes: Petra est omnis qui imitator & discipulus est Christi. Ex quo biberunt de spirituali consequente petra. Et super omni eiusmodi petra ædificatur Ecclesia Dei. In singulis enim quibusq; perfectis, qui habent in se congregationem eorum, quæ complent beatitudinem, verborum, & operum, & sensuum omnium, consistit Ecclesia, portæ non prævalent inferorum.

62. Ut clarissimum hoc Origenis testimonium Iesuita eludat, comminiscitur illum hoc in loco non literaliter sed allegoricè sententiam Christi exposuisse, idq; tribus ratiunculis vult ostendere. Primo. n. ait, Origenem hom: 5. Ex. literalem sensum tradidisse, ubi Petrum nominavit magnum Ecclesiæ fundamentum & petram solidissimam. Respondeo, Origenes Hom: 5. in Ex: ὡς ἐν πηγῶν & minimè ex professo tractat locum Matth: 16. ideo non iudicat qua ratione Petrum appellet fundamentum & petram solidissimam, in primo verò tractatu super Matthæum, ubi iusto commentario totum eum locum exponit, genuinam tum suam tum Christi sententiam explicat, quæ nequaquam est allegorica sed literalis, eandemq; explicationem propriam & literalem repetit tractatu in Matth. 23. ut supra thesi 28. ostensum est. Petit igitur Bellar-

D

minus

minus principium asserendo Origenem allegoricè quemlibet fidelem, rationis fidei in Christum, qui est petra, petram appellare.

63. Nam Origenes ibidem solidissimis rationibus ostendit Petro nihil præminentia præ reliquis Apostolis & fidelibus à Christo traditum esse. Labet verba eius ad retundendam Cardinalis impudentiam. Sic enim ille verbis modo adscriptis immediatè subjicit. Quod si super unum tantum illum Petrum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus de Iohanne filio tonitru, & apostolorum unoquoq;? Quin alioquin num audebimus dicere, quod ad versus Petrum unum non prævalitura sint portæ inferorum, ad versus cæteros autè Apostolos ac perfectos prævalitura sint, ac non potius in omnibus ac singulis eorum, de quibus dictum est, fit illud, quod dictum est, Et portæ inferorum non prævalebunt ad versus eam. Item illud, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. An vero soli Petro dentur à Christo claves regni cælorum, nec alius eas quisquam beatorum accepturus est? Quod si dictum hoc: Tibi dabo claves regni cælorum, cæteris quoq; commune est, cur non simul omnia, & quæ prius dicta sunt, & quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnium communia? Nam hic & illud velut ad Petrum videtur dictum, Quæcunq; ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis, & quæ sequuntur, Cæterum in Evangelio Johannis Servator dans Spiritum sanctum discipulis, per insufflationem, ait: Accipite Spiritum Sanctum &c.

64. Vides Iesuita, Origenem minimè gentium allegorias hic tractare sed omni conatu ostendere, non unum Petrum, sed omnes fideles ratione, fidei esse firmissimas petras. Nam ut porrò ibidem subjungit Origenes, quicumque ex spiritu & fide edit confessionem, Tu es Filius Dei vivi, consequitur ea, quæ dicta sunt, & Evangelij quidem scriptum habet, ad illum Petrum, ut verò docet ipsius spiritus, ad quem vis, qui talis factus fuerit, qualis erat Petrus, siquidem nomen ducunt à petra, quicumq; sunt imitatores Christi, qui est petra spiritualis comitans eos, qui salvati fiunt, ut ex ea bibant potum spiritualem. Hi enim non solum nomē ducunt à petra, quemadmodum Christus, verum etiam Christi membra cum sint, ab eo nomen habeant, dicti Christiani, à petra vero petri. Hactenus Origenes nequaquam allegorizans, ut plerunq;, sed genuinum literalem sensum verborum Christi exprimens.

65. Alterum:

65. Alterum sophisma Bellarmini, quo vult Origenis huic clarissimæ interpretationi nebulas circumfundere, est, quod prolixè recenset circumstantias, quibus persona Petri isthuc loci à Christo & Evangelista describitur, ut inde evincat, peculiarem eminentiam Petro per Salvatoris verba fuisse collatam; sed nemo id negat, sermonem Christi ad Petrum esse directum: utrū autē ad solum Petrū ratione personæ ipsius, an verò ad omnes discipulos & fideles in persona Petri, de eo est quæstio? Quod autem non ad unicum Petrum ratione ipsius individui & personæ, sed ad omnes Christi fideles amplectentes Petri confessionē hæc dicta sint, è rationibus ad Origenem modo abhitis firmissimè concluditur. Primo enim solidissima est Origenis demonstratio: Cum omnes apostoli sint respectu doctrinæ fundamentum Ecclesiæ, Eph: 2. Apoc: 21. ergo non solus Petrus. Inexpugnabilis etiam est demonstratio Origenis: Quandoquidem solus Petrus non subsistit ad versus portas inferorum, id quod in eodem cap: 16. Matth: ubi à Domino Satanæ appellatur, & eterna ipsius abnegatione patet, idcirco solus ille Petrus ædificium Ecclesiæ ad versus portas inferorum sustinere non potest. Immobilis etiam est tertia Origenis ratio. Quia claves regni cælorum æque traditæ sunt cæteris omnibus Apostolis Iob: 20. Ergo nihil peculiare hic Petrus sortitur. Quarta similiter manet inconcussa: Cum omnes Christiani vera fide bibentes de spirituali eos comitante petra fiant lapides vivi, super ædificati super lapidem angularem Christū, 1. Cor: 10. 1. Petr. 2. Ideo Petrus præ cæteris hac in parte nullum peculiare monarchicum axioma sortitus est. Similiter & quintam nullo sophismate suitæ evertent: Quandoquidem omnes verè fideles sunt membra Petræ Christi, necesse est, omnes etiam esse spirituales petras. Petra enim non constat partibus dissimilaribus, quæ sint non petræ, sed similaribus, quæ omnes etiam singulæ sunt petræ. Quid ergo peculiare præ reliquis Petro remanet?

66. Postremum sophisma Bellarmini est tale: Si omnes fideles sunt petræ & fundamentum, ubi erunt parietes & tectum hujus ædificij? Respondeo. Petrus & omnes fideles dupliciter considerantur, primo ratione fidei in Christum, per quam Christum habent in cordibus suis habitantem, Eph: 3. & respectu fidei, vel potius Christi apprehensi omnes fideles sunt fundamentum totius Ecclesiæ. Nam ecclesia catholica, juxta symbolum, est

D 2

commu-

communio sanctorum: Communio igitur fidei unius basis, petra, & fundamentum est totius Ecclesiae, Eph: 4. Alio modo considerantur fideles ratione personarum, & donorum personalium, quorum intuitu alius habet rationem pedis, alius manus, alius oris, auris, oculi, capitis, atq; ita totum corpus Christi & aedificij spiritualis è lateribus, parietibus, columnis, tectoq; construitur. Caput enim est Christus, ex quo totum corpus convenienter coagmentatum & comparatum per omnes commissuras suppeditatas, juxta efficaciam in mensura uniuscujusq; partis augmentum corporis facit, ad aedificationem sui in dilectione, Eph: 4, Rom: 12. 1. Cor. 12. Vera proinde manet Erasmi & Origenis sententia: Omnes fideles, ratione Christi fide apprehensi, esse petras & lapides vivos exstructos super lapide angulari Christo.

67. Progreditur Bellarminus & tertiam expositionem tribuit Calvino, qui docet, Christum esse petram, super quam aedificata est Ecclesia; idq; probat ille primo testimonio Pauli 1. Cor: 3. & deinde Augustini tract: ult. in Iohan. & serm: 13. de verbis Domini & lib. 1. retract. cap. 21. quae omnia paulo ante adscripta sunt. Concedit Bellarminus, Christum esse petram, & primum fundamentum ecclesiae. Largitur etiam, ex hoc loco illud aliquo modo probari posse: ita videlicet: Si Petrus est fundamentum Ecclesiae loco Christi, multo magis ipse Christus. Negat autem hoc loco Christum de se primo & per se loqui, sed de Petro sermonem esse juxta immediatum & literalem sensum acriter contendit.

68. Quibus autem, quae rationibus id ostendit? oppidò lepidis & solidis. Primo ait, pronomen Hanc debet referri ad aliquid proximum, non ad remotum: Proximè autem dictum fuerat non de Christo sed de Petro, Tu es Cephas, i. e. petra. Ergo supra hoc abundè discussum est. Sumit enim hoc sophista, Petrum à Christo esse appellatum petram, non probat. Petrus est nuncupatus, & in genere masculino, juxta graecum, syriacum, & latinum textum, non petra genere faeminino. Cum igitur pronomen, HANC genere distet à Petro, non potest ad illum referri, sed necesse est ut respiciat aliud: ac quia nihil aliud praecessit, quam confessio Petri de Christo filio Dei vivi, idcirco eam ipsam confessionem demonstrat.

69. Secunda Bellarmini ratio est: Pronomen Hanc, referri debet ad eum, qui nominatus est petra. Christus autem hic non vocatur petra, sed Petrus appellatus est petra. Ergo. Iterum petitio principij, Negatur .n. Petrum ullo apice hic nuncupatum esse petram. Christus autem seipsum hic demonstrat eam esse petram, quae in scriptura saepius sit praedicata Es. 8. 28. ps: 118. Luc: 2. 1. Cor: 3, 1. Petr: 2.

70. Tertio

70. Tertio sic argutatur: nisi ad Petrum pertinerent hæc verba & super hanc petram &c. plane frustra dictum ei fuisset: Ergo dico tibi, quia tu es Petrus. Respondeo. Etsi Petrus non constituitur petra Ecclesiæ, non tamē frustra vocatur suo nomine. Cur enim Christus eum nominat Petrum, causa est evidentissima, quod videlicet illum sui muneris & vocationis ad Apostolatum admonere voluit. Ad apostolatū enim vocatus à Christo nomen Petri accepit Marc: 3. Luc. 6. Math. 10, estq; hæc Christi sententia. Quia ingenuē & rectē confessus es me esse filium Dei vivi, & tantum hætenus ex mea institutione, ac revelatione Patris cœlestis didicisti, ut credas me esse non nudum hominem, sed Filium Dei unigenitum, idcirco dignus es, qui posthac etiam apostolatu fungaris, ob apostolicam hanc tuam confessionem. Affirmo igitur tibi te esse petrum non solo nomine, sed re ipsa, sicut ab initio vocationis tuæ te appellavi. Iam enim luculentum petrinæ & constantis in me fidei specimen dedisti.

71. Sed postrema Bellarmini ratio omnium scilicet est pulcherrima. Si ad Christum inquit, referretur pronomen, Hanc, non diceret Dominus ædificabo, sed ædifico Ecclesiam meam. Quia vero dicit, ædificabo, & verò Petrus demum post resurrectionem constitutus est fundamentum Ecclesiæ, idcirco ad Petrum, non ad Christum, pertinet. Respond: Christus unicum est, & fuit, & erit Ecclesiæ fundamentum 1. Cor. 3. Ac sicut hætenus fundamentum fuerat Ecclesiæ in populo Israëlitico collectæ, ita nunc promittit in futuro, se quoque fore fundamentum Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus colligendæ Ioh: 10. & se eam in omnem æternitatem defensurum contra omnes diadoli insultus. Hæc vera causa est temporis futuri à Christo adhibiti.

72. Nonne autem fœdissima est antilogia, quod Bellarminus modò summis viribus contendit, Petrum à Christo hinc nuncupatum esse petram seu fundamentum Ecclesiæ, & hic asserit, eum nondum esse constitutum Ecclesiæ fundamentum, sed post Christi resurrectionem illum demum id factum esse. Si enim Petrus ante resurrectionem Domini non fuit fundamentum Ecclesiæ, quomodo potuit Christus juxta Bellarmini interpretationem, jam in præsentem ad illum dicere: Tu es petra siue fundamentum. An non dicendum potius fuisset, tu eris post resurrectionem meam fundamentum. Quid verò num Ecclesia caruit fundamento usq; post Christi resurrectionem? quomodo igitur periculosissimo tempore passionis, mortis & sepulturæ Christi adversus impetum infernalium portarum constitit.

Sed ubi quaeso post resurrectionem Petro dictum est, Tu es fundamentum Ecclesiae? nusquam.

73. Videamus jam quid Bellarminus ad Calvini argumenta respondeat. Hic vero ipse captum se & constrictum turpi silentio fatetur & palam ostendit: Nam ad argumentum è dicto Pauli 1. Cor. 3. Fundamentum aliud &c. nihil habet quod adferat, praeter hanc distinctionem, quod ait, Paulum 1. Cor. 3. loqui de primario fundamento, alioquin enim ipsum secum pugnaturum, quando Eph. 2. scribit, ex aedificatam esse Ecclesiam super fundamentum Apostolorum & prophetarum. Resp: Rectè mi Domine Cardinalis, inter primarium & secundaria fundamenta Ecclesiae distinguitur: in quam autem classem reponis Petrum petram? Unū est primarium & per se fundamentum, Christus, 1. Cor. 3: in hunc locum ille nec Petrum nec quenquam vel hominum vel angelorum admittit. Petrus igitur secundariè erit fundamentum sicut ceteri Apostoli respectu praedicationis & propagationis doctrinae. Christus est fundamentum Ecclesiae ὁ ὄσιος ὁ θεὸς ὁ ὑποστυλιώτης quia ipse in persona & sanctissimo merito totius Ecclesiae salus fundata est. Ebr. 4. Acto: 4. Apostoli autem & Prophetæ fundamenta ὄστυλιώτης. Cumq; in hanc alteram classem etiam Petrus referendus sit, nihil habet eminentiae, principatus, & monarchici axiomatis praeter reliquis, nisi Bellarminus illud ostenderit, quod hactenus facere non potuit, neq; ullo unquam tempore poterit.

74. Ad Augustini testimonium quid tandem Bellarminus? Ait Augustinum non reprobare pontificiorum sententiam, sed tantum antepone-
re aliū, idq; ut obtineat adscribit verba Augustini è lib. 1. Retract: cap. 21. quae supra sunt recitata. Respondeo. Augustinus sanè non reijcit simpliciter illam suam sententiam, quod Petrus sit fundamentum Ecclesiae, sed Augustini sententia non est eadem cum tua. Nam Augustinus & Ambrosius, & reliqui patres Petrum ὄστυλιώτης ὁ ἀρχιτεκτονικώτης ratione doctrinae munerisq; apostolici appellarunt fundamentum, hoc est, fundatores Ecclesiae qui fundamenta collocarunt Christum sicut Eph. 2. Apoc. 21. do-
cetur, id quod ex ipsorum luculentissimis explicationibus jam est demonstratum. Tu vero Bellarmine, vis Petrum esse fundamentum ὑποστυλιώτης respectu personae suae & quidem μοναρχικώτης, quod acceperit principatum in omnes apostolos & universam Ecclesiam. Haec tua est sententia, non Augustini. Huiusmodi enim principatum in Ecclesia Augustinus ut blasphemum & anthichristianum typhum ac tyrannidem, ac dominatum ad orbem damnavit, quod
in histo-

in historica narratione Concilij Aphricani, siue Carthaginensis sexti alio
in opere demonstratum est. Falsum igitur est, quod hic ais Bellarmine,
Augustinum non reprobare tuam sententiam. Imo tua & pontificum
sententia de Petri principatu Augustino nunquam in mentem venit, ut
illam doceret. Quin potius cum Orosio, Prospero & aliis Aphricanis Epi-
scopis tuam tuorumque sententiam ad Stygiam paludem relegavit.

75. Ad dis, bone vir, Augustinum è sola ignorantia hebrææ linguæ
deceptum lib. 1. Retract: cap. 21. scripsisse: Non enim dictum est Petro: Tu
es petra: sed tu es Petrus: Petra a. erat Christus, existimasse enim Ce-
pham non significare petram ipsam, sed aliquid à petra derivatum ut
petrinum vel petreum. Bene existimavit Augustinus, idemque existima-
runt reliqui patres & inter eos Hieronymus, Epiphanius & denique etiam
Lyra, qui hebræi idiomatis non fuerunt ignari. Ac fundamentum suæ sen-
tentia non erat opus ut ex hebræo aut Chaldaico vel Syriaco idiomate pe-
terent: sed sufficiebat græcus codex. Tibi verò Bellarmine, supra ad oculo
ostensum est, in Syriaca etiam versione Cepham masculinum à Ce-
pha feminino distingui tanquam proprium ab appellativo. Etsi enim una
eademque vox est, quoad literas, syllabas, terminationes Cepha, & πέτρος,
quæ & lapidem, & hominem sic nuncupatum: significatio tamen pluri-
mum distat: id quod in aliis quoque nominibus polysemis clarum est. Nam
leo idem est vocabulum, quod tamen alias animal terrestre, alias signum
coeleste, alias Leonem pontificem significat. Agapetus appellativo est dile-
ctus, Agapetus proprie Rom. præsul. Benedictus appellativo quicumque po-
test vocari, sed proprie fuerunt Rom. pontifices ejus nominis XII. Cali-
stus appellativo est optimus, proprie item Rom. pontifices tres. Idem de
Clemente, Cleti, Evaristi, Eugenij, Eusebij, Macrobij, Felicis, Constantis,
Formosi, Crebasij, Gregorij, Victoris, Paschalis, Pij, Stephani, Urbani, &
aliorum mille nominibus manifestum est. Et proinde tu millies hanc crambem
recoxeris, Cepham in Syriaca lingua significare petram, & πέτρος in græ-
ca lingua esse πέτρον siue lapidem. Non tamen obtinebis, Cepham
& πέτρον, cum de Petro prædicatur, Tu es Petrus, tu es Cepha, & πέτρος
appellativo sumi & metaphorice, sicuti cum de Christo enuncia-
tur, quod sit spiritualis petra 1. Corinth. 10. & cum Christus ipse dicit:
Super

super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Hic rhodus est, hic salta, & ostende vocabulum Cephæ sive πέτρος κειμένον & appellativè de Petro esse enunciatum à Christo: id vero æternitatem ostendere non in omnem poteris. Ego autem ex Evangelistarum trium Marc. 3. Luc. 6. Math. 10. testimoniis demonstravi, vocem cephæ & πέτρος non κειμένον sed κωγιμένον de Petro enunciari.

76. Quarto & postremo examinandam sibi sumit Bellarminus Lutheranorum sententiam, de qua ait, quod omnium fere Lutheranorum communis sit, per petram significari Petri confessionem de Christo filio Dei viventis. Antequam examen illius excutiamus, primo sciendum est non esse aliam sententiam eorum qui dicunt, confessionem Petri de Christo esse petram, & item aliam eorum qui Christum volunt esse petram. Confessio enim de Christi officio, & Christus ratione sui officij, quo est petra salutis, non re ipsa, sed tantum ratione differunt.

77. Quia vero Bellarminus animadvertit hanc nostram sententiam immotis scripturæ fundamentis & puræ ac orthodoxæ antiquitatis testimoniis solidissimis niti, distinctionem comminiscitur, qua cogitat elabi, quod, nimirum fides sive confessio de Christo dupliciter consideretur, alias generaliter & absolute, alias in individuo ratione Petri, & ex hac infert hic considerari fidem cum relatione ad Petrum, idque probat ex eo, quod Christus in futuro ait, edificabo Ecclesiam meam: nisi enim ad Petrum, inquit, fieret relatio, non dixisset edificabo, sed edifico Ecclesiam meam.

78. Frivolum autem, mi homo nugamentum est de tempore futuro. Nā Christus edificavit, edificat & edificabit. Ecclesiam, usque ad novissimum diem. Hic a. propriè loquitur de edificatione & collectione Ecclesiæ Novi testamenti ex Iudæis & gentibus cōgreganda per ministerium Apostolorum. Etsi proinde libenter conceditur, fidem seu confessionem non sumi absolute, sed relate, nullus tamen inde principatus Petro conficitur: Nam Petri fides & confessio non erat unius illius personæ, sed omnium Apostolorum, quam Petrus reliquorum nomine ediderat. Christus itaque dicit, se super hanc communem Apostolorum confessionem ore Petri prolatam fundaturum Ecclesiam per totum terrarum orbem colligendam. Vnde Paulus etiam ait Ecclesiam esse fundatam super fundamento prophetarum & Apostolorum Eph. 2. & Apo. 21. duodecim Apostoli nominantur duodecim lapides fundamenti.

79. Deinde Bellarminus impugnandum sibi sumit hoc thema, quod
nobis

nobis tribuit, fidem absolutè esse fundamentum Ecclesiæ. Sed negam⁹ nos fidem absolutè, ut est qualitas, esse Ecclesiæ fundamentum. Quid enim, & ubi est ejusmodi absoluta fides, quæ absque fidelibus & Christum confitentibus subsistat? Num tu putas, nos ex fide facere idæam Platoniam, quæ abstractè, & per se extra credentes subsistat inq; aere circumvolitet? Minimè. Fides enim est fidelium fides de qua propheta ait: Iustus fide suâ vivit, Abacuc. 2. & Paulus certè, non de abstractiva, sed concretiva fide loquitur, Rom: 10, corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem: item, per fidem Christus habitat in cordibus fidelium, Eph. 3. Hæc fides fidelium verè est fundamentum Ecclesiæ. Corruit itaq; totum illud, quod hoc loco Bellarminus thesi à seipso confictâ & nobis affictâ sophisticè producit.

80. Nam quod ait, fundamentum ejusdem generis esse oportere cum reliquo ædificio, benè habet. Est enim fundamentum Ecclesiæ cum toto ædificio Ecclesiæ ejusdem omninò naturæ & generis. Fundamentum esse dicimus, verâ & vivam fidelium fidem, ædificium sunt homines, non quatenus homines, sed quatenus fide sunt præditi. Est enim Ecclesia secundum Petrum, 1 Pet: 2. congregatio lapidum vivorum: fide siquidem suâ vivit justus Abac: 2. Rom: 1. 3. Ebr: 10. 1. Pet: 1.

81. Nugatur Suita ulterius, Petrum duplici ratione constitui fundamentum Ecclesiæ, primò ob meritum suæ fidei: deinde quia fides Petri deficere non potuit. Respon: ad prius, Petrus suâ fide nihil omnino meritus est, sed gratis per eam salvatus Ephes: 2. Nam si omnia fecerimus, servi nihilominus inutiles sumus: Luc: 17.

82. Ad alterum respondeo: propositionem de fidei Petrinæ defectu, laborare ambiguitate. Duplex enim est defectio, temporanea videlicet, & finalis. Petri fides intercedente pro ipso Christo, non defecit finaliter, sicut Judæ, non factus est apostata; deq; ea defectio loquitur Dominus, Luc: 22, ego roga-vi pro te, ne deficeret fides tua. Interim autem fides Petri ad tempus certè deliquium est passa. Ac quemadmodum in obscuratione Lunæ fit, ut lumen, quod à sole habet, ad tempus illi re-vertè subtrahatur, ita Petro accidit, ut ad aliquod temporis spacium, per humanam imbecillitatem fidei defectum pateretur. Stolidi proinde est principij petitio, quicquid hîc blaterat Bellarminus de infectibili fide Petri.

83. Manent igitur patrum testimonia inconcussa, quæ nostri adducunt ex Hilarij lib. 6. de Trinit: Ambrosij lib. 6. cap. 9. in Lucam: Chrysostom. hom. 55. & 83. in Math: & Cyrilli lib. 4 de Trinit. Nam etsi Hilarius,

E

& alij

Et alij dicunt, excellentem fidem Petri id promeruisse, non tamen papisticum aliquod meritum debiti Petro assignant: sed ita suam sententiam volunt intelligi, quod sit meritum gratuitæ remunerationis, sicut vita æterna nominatur merces non ex debito, sed ex mera gratiâ divinæ clementiæ, qua etiam sua dona in nobis coronat, ut ait Augustinus: quo gratuito merito fit, ut pietas promissionem habeat hujus & æternæ vitæ, 1. Tim: 6. Matth: 10. & 25.

84 Postremò quandò nos ostendimus, Petri fidem ilicò, cùm Christo iter ad passionem dissuaderet Math: 16., in tertia negatione defectum esse passam, & proinde nimis ruinosum fuisse Ecclesiæ fundamentum; duo sophismata fingit Suita: primo ait, Petrum tunc nondum fuisse fundamentum. Respon: si hac Christi sententia Math: 16. Petrus non est constitutus fundamentum; caret fictitium papisticæ dominationis fundamentum omni fundamento. Deinde negat Bellarminus impudentissimè, Petrum sua abnegatione errasse circa fidem, & ait, eum tantum aliquid ignorasse, cum à Christo audiret: vade post me Satana; itè à charitate excidisse, nò à fide, cum Christum ter abnegaret. Res: qui ignorat fundamentum nostræ justificationis, quod est Christi passio, & non modò le viter ignorat, sed etiam dissuadet, & quantum potest, reluctatur, ne Christus patiatur: ille profectò circa primarium caput fidei errat, veramq; salvificam fidem amittit. Fides enim salvifica nititur fundamento passionis, & resurrectionis Christi, quo ablato, fides ubi subsistat, non habet, Es: 53. Ac si Petrus eo momento verà fide fuisset præditus, quomodo Christus eum posset appellare Satanam? Vix enim fides nullum cum Satana habet commercium, 2. Cor: 6, Quomodo item Petrus verà fide præditus Christo esset scandalum? Ac deniq; si Petrus veram tunc fidem retinisset, & si verba illa dehortantia Christum à passione, fuissent ex fide, & non ex Satana, carnisq; instinctu profectas; qua ratione Christus diceret, non sapis, quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum? Cum igitur Christus ob illam dissuasionem Petrum nominet Satanam, eumq; abigat, & sibi scandalum præbere dicat, & deniq; non à Deo, sed ab hominibus eam vocem proficisci asserat: manifestum est, eam ipsam Petri in aurem Christi insusurationem non fuisse opus Spiritus sancti, non profectam esse à Deo, sed ex carne, & proinde fide verà fuisse destitutam. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum est, Rom: 14. & φρονιμα σαρκος est inimicitia ad versus Deum, Rom: 8: & animalis homo non intelligit ea, quæ sunt Spiritus Dei 2. Cor: 3.

Quod

85. Quod insuper Suita nugatur, Petrum in tertiâ negatione non fuisse fide, sed tantum charitate privatum, explosione dignum est. Nam si secundum Pontificos fides informatur à charitate, (quod tamen falsum est) qualis, obsecro, fuit Petri fides formâ suâ destituta? Ac cum fides sit efficax per charitatem, juxta Paulum, Gal: 5. & fides absq; operibus dilectionis erga Deum, & proximum sit mortua, ut ait Iacobus cap. 2. nulla igitur alia fides tunc in Petro fuit, quàm mortua, & ad salvandum inutilis.

86. Quod deniq; Bellarminus ait, Petrum dissuadendo passionem aliquid saltem ignorasse; id non caret. Sophisticâ Duplex enim est ignorantia: alia quidem simplex, sicut Apostoli omnes, cum audiunt Christum de instante suâ passione concionantem, nihil eorum intelligunt quæ ab eo dicebantur, Luc: 18. sicut Æthiops præfectus reginæ Candaces non intelligit vaticinium de Christi passione, Es: 53. Act: 8. Alia verò ignorantia est Ψ Δ Γ Θ & affectata, eaq; cum Syllogismo, ut loquitur Aristoteles in post: anal: cum quis non modo id, quod scire debebat, & poterat, datâ operâ scire non vult, sive scire se negat, & quod scit, scire se inficiatur: sed etiam contra veritatem disputat: sicut hoc loco Petrus non in ejusmodi simplici ignorantia, in qua alioquin omnes Apostoli hærebant, etiam post Christi resurrectionem, quod ex inveterata Iudæorum opinione, quæ animis ipsorum penitus infederat, expectabant corporale regnum Christi, & proinde intelligere non poterant, Christum esse passurum & moriturum, sicut è colloquio duorum Emaunta euntium videre est, Luc: 24. Petri autem ignorantia conjuncta est cum prava voluntate, quam ipsi caro & Satanas, ut Christus disertè testatur, inspiraverat, & suggererat, quâ Christo vult esse sapientior, & circumspectior, & non veretur contra disertum Christi verbum aliud illi suadere, quàm officij ipsius erat, ad quod ab æterno patre in mundum missus fuerat. Quicquid autem repugnat verbo Dei, quantumvis intentione fiat bonâ, peccatum est, & fide caret, Rom: 10. Math: 15. Ezech: 20. Col. 2.

LAUS DEO.

Handwritten text in a medieval script, likely Latin, arranged in approximately 25 horizontal lines. The text is extremely faint and difficult to decipher, appearing as a mirror image of the reverse side of the page. It contains various words and phrases, including what appears to be a list or index of items.

LAUS DIO



Umg. VI 18

ULB Halle 3
003 018 784






Sb.

Reise
VD 17

III







69 2.

Contra Antichristianum,

PRIMATVM

ROMANI PONTIFICIS

Disputatio de dicto Christi Matth.

16. vers. 18.

(*Tu es Petrus, & super hanc petram
ædificabo Ecclesiam meam:.*)

Quam,

Divina aspirante gratia,

PRÆSIDE

SALOMONE GESNERO, S.
Theologiæ D. & in Inçlyta Academia
Wittebergensi Professore, ad diem VII. De-
cembris horis matutinis in auditorio The-
ologico defendet

M. HERMANNUS SAMSONIUS
Rigã - Livonus.

WITEBERGÆ

Typis VVolffgangi Meisneri,

Anno M. D. CIIII.